



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 822. An & qualiter novitius dimitti aut expelli possit à religione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

sed cogebantur professionem emittere in eadem vel alia etiam religione juxta *c. 20. h. t.* dum nimirum de tali animo seu proposito ex certis indicis. v. g. quia beneficio Ecclesiastico habito absolute renunciarant, vel de bonis suis re ipsa disposerant, constabat, obligationem hanc seu necessitatem remanendi inducente hoc proposito, non quidem nudo, sed concepto ex intentione sese hac ratione tradendi religioni & obligandi, adeoque conjuncto & firmato promissione vel etiam voto simplici profitendi, cujus alias obligationem aut etiam tacitam professionem susceptio habitus monachalis non inducit absque dicta promissione. uti hæc tradunt Suar. *de relig. tom. 3. l. 5. c. 11. num. 2.* Sanch. *L. 4. mor. c. 1. num. 20.* Barbof. *in c. 20. h. t. num. 1. & seq.* citatis pluribus aliis. Pirh. *h. t. num. 62. & seq.* quem vide; præscindendo saltem à tali proposito non nudo (quod importasse necessitatem non egrediendi, satis indicare videntur AA. citati, ut legentis eos patet) novitii hodie dum liberè nullius petita licentiâ, & licitè ex justa causa ante susceptionem habitus professorum (intellige, ubi is distinctus est ab habitu novitiorum) & ante professionem redire ad saculum possunt per *c. statimus 23. h. t.* Castrop. *tr. 16. d. 1. p. 10. num. 1.* & AA. citati cum communi. quin & post Concilium Tridentinum cum dicto proposito & voto simplici aut obligatione profitendi ingressum, etiam postquam renunciavit libertati egrediendi, posse adhuc liberè egredi absque eo, quòd ad ullam aliam religionem in genere vel specie intrandam teneatur, cum Fagn. *in cit. c. 20. h. t. num. 42. in declarat. Card. conc.* tradit Pirh. *h. t. num. 67.* Dixi tamen: *licite: ex justa causa:* quamvis enim per se loquendo exitus ille ex objecto suo vacet culpâ, eâ tamen non vacat, si ad illum novitius irâ, odio aliave sequiore affectione moveatur, aut neglectis divinis inspirationibus ad secularis vitæ licentiam & peccandi occasiones, ac pericula redeundo, salutis suæ discrimini se exponendum prævidit, ut bene Wiestn. *h. t. num. 35. in fine.*

*Quest. 822. An & qualiter novitius dimitti aut expelli possit à religione?*

**R**Esp. Tametsi religio fortè ex rigore justitiæ non teneatur novitium retinere, ut Pirh. (cujus tamen contrarium probat à posteriore de Lug. *de 7. & 7. tom. 1. d. 9. num. 57.* ex eo, quòd novitius sine causa dimissus possit in foro externo reclamare, & quoties de veritate constaret, restituenda esset. ut Host. Jo-Andr. Sanch. Lopez apud illum; quod denotat aliquod jus in novitio ad se non dimittendum; cum alioqui non posset jus suum, in judicio prosequi) ex alio tamen capite non potest illum sine justa causa liberè dimittere, nimirum ratione officii sui, ex quo prælatus teneatur procurare bonum religionis & subditorum adeoque & novitium, qui religioni idoneus apparet, retinere non minùs, quàm illum, si idoneus est, expellere, pro ut rationem hanc desumptam ex officio prælati pulchrè declarat de Lug. *l. c. num. 56.* agatque insuper contra officium caritatis gebitæ novitio sibi subdito, dum sine rationabili causa eum expellendo, non potest non inurere gravem notam, dum omnes sciunt, nunquam nolentem & invitum dimitti, nisi ob defectus naturales vel morales. ut de Lug. *l. c. num. 55.* privatque magno bono, quin & fortè periculo salutis exponit. proinde his non obstantè,

quòd novitius non teneatur in religione permanere, negantibus in hoc paritatem obligationis ad permanendum & retinendum. Suar. *ut c. 11. num. 5.* Sanch. *L. 5. c. 4. num. 54.* Castrop. *cu. p. 10. num. 1.* Pelliz. *in man. præd. c. 7. q. 26. num. 60.* Pirh. *h. t. num. 78.* ex eo capite, quòd in iis, quæ non ad justitiam distributivam vel commutativam, vel caritatem pertinent, non detur mutua obligatio. De cætero ad dimittendum novitium non requiruntur causas gravissimas, aut defectus notabiles, sed sufficere, quòd vel circa sanitatem, vel circa indolem, vel alia talenta reperitur, minùs utilis religioni, ait de Lugo, *l. c. num. 55.* ut etiam *num. 59.* dicit, causam ad dimittendum novitium sufficientem non debere semper esse moralem, vel ortam ex ejus culpa; cum ad hoc non obligaverit se religio, sed sufficere causam etiam extrinsecam, ut si ex ejus retentione grave malum aliquod timeretur religioni, etiam absque culpa novitii. v. g. indignatio parentum, qui graviter nocere possent religioni. item aversio principis à religione, damnum etiam temporale &c. Atque ex his jam deducitur & probatur, peccare illos graviter, qui absque sufficiente causa novitio, dum est in probatione, negant suffragium suum ad professionem faciendam requisitum, ut docent Suar. *tom. 3. de relig. c. 3. num. 7. in addit. ad dubia regul. v. novitius 17.* Vecchius *in præd. novitior. d. 12. du. 2. num. 4.* Micand. *in man. præd. tom. 1. q. 25. a. 12. concl. 1. & 2.* Dian. *tom. 1. tr. 2. de dub. regul. resol. 19.* Cordub. *in reg. minor. c. 2. q. 2. & 11.* & alii, quos citat & sequitur de Lugo *l. c. num. 54.*

*Quest. 823. An novitio egredienti restituenda omnia bona, que intulit, habitusque ipse?*

**R**Esp. Ad primum: restituenda ei omnia bona, quæ tempore ingressus deulit in monasterium, ita ut nec minimum ex iis retinere possint religiosi; poteritque ad hoc Episcopus, ubi opus fuerit, ad id compellere per censuras ecclesiasticas superiores regulares. Zesol. *in præd. Episcop. p. 1. v. moniales. §. 3. & p. 2. v. eod. §. 11.* Barbof. *in c. 9. h. t. num. 5. & de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 101. à num. 37.* juxta quod statuit Trid. *sess. 25. de regular. c. 16.* & quidem restituenda bona cum omnibus fructibus, inde perceptis, deductis alimentis pro tempore, quo fuit in novitiatu (de quo tamen posteriore paulò post) resolvit Azor. *instit. mor. p. 1. l. 13. c. 9. q. 2.* recuperare etiam omnia bona feudalia tradunt Tappia *in anth. ingressi, de SS. Eccles. in v. sua. c. 14. num. 16.* Iho. de marin. *de feudis l. 1. tit. de feud. ex pacto & provis. num. 139.* Carol. de Grat. *de effect. cler. off. 4. sub. num. 25.* & alii apud Barbof. *in cit. c. 9.* & Idem *cit. alleg. 101.* sic etiam, si pater cum omnibus bonis suis & filio impubere se offert Religioni, filius annos discretionis adeptus, nolens esse Monachus, potest exire, & petere bona paterna, quæ ex successione sibi proveniunt, & hæc ei restituenda. Barbof. *in c. 14. h. t. num. 1.* citatis Vivian. *in ration. jur. Pontif. l. 3. pag. 478.* Abb. Card. Jo-And. Imol. Host. Butr. &c. An verò, patre professo Religionem, statim legitima debeatur filio, & is eam petere possit à Monasterio, & illud eam restituere teneatur, in eo non conveniunt AA. pro sententia negante eam statim peti posse, sed expectandam mortem naturalem patris, & interea Monasterium eâ potiturum, Barbof. *in cit. c. 14. num. 2.* citat immensam tur-